

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja krakowska**

Rękopis Biblioteki Narodowej, sygn. 12607 III, k. 39rb-39vb

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 59 [Gn. 53]

[59] [k. 39rb] Si vulneratus vir ad iudicium decuctus fuerit cum clamore in facto manifesto, et si ita inbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo procedat sua querimonia: “Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro avvocato, extunc in sententia requiro et si per iusticiam insidias per aliquem pati debeam, [k. 39va] quas iure tenere debeam aut sustinere, cum suam causam propter iuris exigenciam teneo.” Extunc sibi diffinitur, quod non, extunc sibi petat correccionem. Cum optinuerit, tunc petat colloquium pro consilio, extunc cum colloquium habuerit, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat et hoc per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur sibi cum clamore. Tunc interrogetur per sententiam seu sentencialiter, si requiri debeat ab ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, aut duo viri, qui in iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo suam receperit aut habuerit lesionem, vel quis in eo pacis federa infregerit. Extunc requiritur sentencialiter, ut interrogari debeant circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quid ab eo audierunt. Tunc unus interrogetur a[d] dicendum, quid ab eo audierunt. Audita responsiva sua, tunc in sententia requiritur, si iam profecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, eciam interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod sic profecerit secundus et tertius, deinde querela incipit sic: “Domine iudex, placeat attente audire.” Tunc hic N conqueritur vobis super unum N et N, quod ipsi venerunt intra unum municipal, et pacem [k. 39vb] in eo fregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et spoliaverunt ipsum corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando ter vocati per clamorem fuerint, tunc conqueratur ulterius et nomet malefactores, ut prius querulatum fuit. Idem facit tercia vice. Extunc inducie indicantur per noctem. Si tunc non compareant, proscribentur. Si autem compareant, duellum in eis acquiri potest.

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]